



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 47. Wormatiensium Lutheranorum querelæ ad Corpus Evangelicorum  
per testes convictæ de falsitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.

gatum de hac novitate certio-  
rem reddidit, petiitque, ut eam Franciscus  
Ludovicus Trevirensis Elector tum Wor-  
mationensis Episcopus abrogaret.

§. XLVII.

*Wormationensium Lutheranorum que-  
relæ ad Corpus Evangelicorum  
per testes falsitatis con-  
fictæ.*

Ut vero hujus accusationis inanitas,  
falsitasque manibus palpari posset,  
Wormationensis Episcopus per juratos  
testes explorari jussit, an ante & post  
Urbem a Gallis incensam, necnon Badden-  
sem pacem Sacrum Viaticum in Ciborio  
publice a Sacerdotibus rochetto & stola in-  
dutus, præeunte ædituo cum lucerna & cam-  
panula non modo per totam urbem sed &  
ante excubias, & Lutheranas Ecclesias  
omni tempore, nemine contradicente ad  
ægrotos deportatum fuerit? Igitur die vi-  
gesima prima Maij coram Joanne Chri-  
stophoro Bingham Pontificio Apostolico  
ac Imperiali Notario publico ac jurato,  
& Francisco Steinmetz necnon Joanne  
Georgio Schütz testibus requisitis testes  
audiuntur, omnes Viri ætate graves,  
nulla autem muliercula: Comparent  
præprimis Antonius Roth Pictor, &  
per 20 annos ædituus in Parochiali  
Ec-

Ecclesia ad SS. Rupertum & Paulum. Sæc. XVIII.  
 Augustinus Berckhofer septuaginta A. C. 1727.  
 quinque annos natus, Petrus Nusbaum  
 ædituus ad S. Martinum, Hubertus  
 Kröller Pædagogus & ædituus ad  
 S. Joannem ætatis annorum ferme se-  
 ptuaginta septem, Joannes Petrus Mez  
 olim ad S. Paulum Choralis, Ludi-  
 magister, ædituus ad S. Joannem,  
 nunc officialis ad S. Albanum. Hi  
 omnes præstito de veritate dicenda  
 juramento testabantur, notorium, &  
 non modo Catholicis sed & Lutheranis  
 compertissimum esse, quod semper &  
 publice Sacrum Viaticum per omnes  
 plateas, etiam extra Urbis portas ad  
 infirmos etiam in Lutheranorum ædi-  
 bus decumbentes ita delatum fuerit,  
 ut ædituus cum lucerna & campana  
 sonante præcederet, & Parochus ro-  
 cheto & stola indutus sequeretur, eum-  
 que plures alta voce orantes comita-  
 rentur: postquam Urbs a Gallis incen-  
 dio devastata fuerat, per decennium  
 ea solemnitas quandoque fuerit omissa  
 quia in urbe nullæ erant Catholicorum  
 Ecclesiæ: His vero recens erectis hæc  
 solemnitas denuo in usum nemine re-  
 clamante deducta fuerit: Jurata ho-  
 rum testium depositione & examine fi-  
 nito excipiebantur pariter Canonico-  
 rum & Parochorum testimonia, &  
 pri-

Sæc. XVIII. primo quidem Canonicus de Marcellis  
 A. C. 1727. ita testatus est :

„Ego infra scriptus omnibus hæc  
 „videntibus vel legentibus *attestor*, me  
 „Annis Domini 1686. 1687. & 1688.  
 „pluries vidisse Reverendum Dominum  
 „Oberück p. m. Parochum Ecclesiæ Pa-  
 „rochialis S. Joannis Baptistæ & Ecclesiæ  
 „Cathedralis Vicarium stola ac superpellicio  
 „indutum præcedente campanatore cive &  
 „Sartore hujus civitatis. portante lu-  
 „cernam cum lumine & tintinabulo, ince-  
 „dentem publice & portantem ciborium  
 „ad infirmos iisque SS. Viaticum por-  
 „rigendo; post pacem Risvicensem vero  
 „dum ad Ecclesiam redux testor, me  
 „ipsum quoque, dum parochialem Ec-  
 „clesiam S. Lamperti hic administravi,  
 „sæpius eodem, quo supra, modo  
 „indutum Annis 1699. 1700. 1702. ad  
 „infirmos vocatum, publice prædicto  
 „modo Ciborium cum Sanctissimo por-  
 „tasse, præcedente quoque Campana-  
 „tore tum temporis cum Lucerna &  
 „Campanula, Henrico Streeel, Ægrotos  
 „visitasse, & iis S. S. Viaticum por-  
 „rexisse; speciatim transeundo forum  
 „superius ad *Conventum S. Richardi*, in  
 „foro superiori in antiquis cellis, ubi  
 „pauperes & incolæ habitabant, per  
 „plateam Camerariorum vulgo die  
 „Cammer-Gassen, ad plateam fabri-  
 „rum

rum ferrariorum vulgo Schloffer-Sæc. XVIII.  
 „Gassen, exeundo per Portam S. Mar- A. C. 1727.  
 „tini ad Hospitale in suburbio ibidem si-  
 „tum, & prædicta omnia ita peracta  
 „absque ulla unquam contradictione;  
 „quæ omnia, toties quoties opus fue-  
 „rit, *Juramento* confirmabo. In fidem  
 „hasce propria manu scriptas & sub-  
 „scriptas proprio consuetoque sigillo  
 „munitas dedi *Wormatiæ* 21. Maij An-  
 „no ab incarnatione Domini 1727. Ni-  
 „colaus Marcelli Imperialis Collegiatæ  
 „Ecclesiæ S. Martini *Wormatiæ* Cano-  
 „nicatus Capituli Senior, Cantor & Ju-  
 „bilarius, Serenissimi & Revimi. Episcopi  
 „& Principis *Wormatiæ* Sacellanus Au-  
 „licus manu propria.

Postea Joannes Antonius Wallreuther Doctor Consiliarius Ecclesiasticus atque Episcopi Sigillifer hoc reddidit testimonium. „Ad requisitionem Reverendissimi Vicariatus Wormatiensis, „ego infra scriptus attestor, me qua „Parochum ad S. Joannem Baptistam in „Anno 1705. *talari, toga, & superpellicio*, more apud *Catholicos* consueto, indutum & publice, ædituo *lucem & tintinabulum* præferente & re- „spective pulsante, ad ægrotos & specifice in locis vel cellis, ubi de facto „Domus Reverendissimi, & perillustris „Domini *Baronis de Rhem* Ecclesiæ Ca- „thed-

Sæc. XVIII. „thedralis hujatis Canonici, uti & Ni-  
 A. C. 1727. „colai Brücher extructæ conspicu-  
 „tur, graviter decumbentes detulisse,  
 „iisque providisse, idque absque ulla  
 „cujuscumque contradictione; quæ  
 „ubi requisitus fuero, *Juramento con-*  
 „firmare paratus sum. In fidem *Wor-*  
 „matice 10. Junii 1727. Joannes Anto-  
 „nius Wallenreuther, Consil. Eccl. &  
 „Sigillifer, manu propria. „

Exceptis horum testimoniis PP.  
 Dominicani testimonia sua in fide  
 Sacerdotali jurato dicebant, quæ  
 huc referre haud incongruum e-  
 rit, ut inde rei veritas, & accusatio-  
 nis falsitas luculentius pateat. Igitur  
 P. Reginaldus Hälmsætter Conventus  
 Dominicanorum Prior hoc veritati te-  
 stimonium tribuit.

„Cum ratione *Catholicæ* possessionis  
 „in *Civitate Wormatiensi* portandi pu-  
 „blice *Venerabile* una cum *lucerna* a Sa-  
 „cerdote *superpellicio induto*, a me Ve-  
 „ridicum fuerit requisitum testimo-  
 „nium, sic hisce *fide sacerdotali attestor*,  
 „quod duobus illis annis, quibus officio  
 „ac cura *Pastorali* fungebam ad sanctum  
 „Paulum, scilicet Anno 1715. & 16.  
 „toties quoties vocatus *superpellicio*  
 „indutus una cum *Ministro lucernam*  
 „portante, per publicas quascumque  
 „vias & plateas etiam per pontem Rheni,  
 „domus, in quibus debebant infirmi  
 „aut

„aut moribundi Catholici, liberrime ac  
 „cefferim sine ullo unquam acatho- Sæc. XVIII.  
 „licorum impedimento, vexatione, A. C. 1727.  
 „contradictione, unde hunc ritum mo-  
 „dumve procedendi Catholicorum, nul-  
 „lam omnino esse innovationem, sed  
 „antiquam plane possessionem hinc ma-  
 „nu propria & conventus Sigillo at-  
 „testor, die 6. Maij 1727.

*F. Reginaldus Hælmstæter p. t.*  
*Prior ibidem.*

„Ego infra scriptus tenore præsen-  
 „tium attestor, me Anno 1722. mense  
 „Januario Superiorum jussu venisse  
 „Wormatiam, & ibidem duobus annis  
 „successive egisse Pastorem ad *S. Paulum*,  
 „& simul aliquo tempore ad *S. Marti-*  
 „*num*, & semper publice superpellicio  
 „& stola indutum per omnes plateas  
 „Civitatis Wormatiensis portasse *S. Via-*  
 „*ticum ad infirmos in ciborio*, præce-  
 „dente ædituo seu Campanario & cho-  
 „ralibus cum *lucerna & cereis ardentibus*  
 „*sine contradictione*, & simili solemni-  
 „tate defunctos conduxisse ad sepulch-  
 „rum, quem modum ibi inveni & re-  
 „liqui: unde hic modus procedendi  
 „nullo modo potest dici innovatio.  
 „In cuius rei fidem præsentibus Sigillo  
 „Conventus nostri *Wesaliensis* munitis  
 „pro-

Sæc. XVIII. „propria manu subscripsi, Wesaliæ  
A. C. 1727. „Cliviorum die 7. Maij 1727.

*F. Leonardus Quodbach, Ord.  
Præd. p. t. Prior ibidem manu  
propria.*

„Tenore præsentium attestor infra  
„scriptus, quod ædificatorius & con-  
„suetus modus Romanæ Ecclesiæ Catholicæ  
„fidelibus ægrotis administrandi Sacramenta  
„non a parvo tempore fuerit attentatus  
„Wormatiæ juxta aliquorum falsas im-  
„putationes, sed semper in usu conti-  
„nuo practicatus, & a Parochis con-  
„servatus sit, & quidem absque omni  
„contradictione; meque in Cæremoniis  
„huic Sacramento vel aliis debitis, id  
„est in eundo & redeundo, deferendo  
„publice per omnes plateas & portas,  
„cum lumine & nola, superpelliceo & stola  
„indutum, nec a Magistratu, nec a sub-  
„ditis ejus ullum sensisse obstaculum  
„nec ore, nec re, quod sub appositione  
„conventus nostri *Francosurtani* Sigilli  
„consueti, & manus propriæ subscri-  
„ptione denuo confirmo, & roboro.

*F. Dominicus Oeckler, Ord.  
Præd. qui ab Anno 1723. us-  
que 1725. Sancta hæc peregr  
Parochialia officia.*

„Quando quidem Superioribus meis  
„placuerit mihi concedere munus  
„Evan-

„Evangelicæ prædicationis in Ecclesia Sæc. XVIII.  
 „nostra *Wormatiensi* Fratrum Prædica- A. C. 1727.  
 „torum Anno 1725. sub initium Men-  
 „sis Novembris, placuit etiam & illis,  
 „quorum interest, mihi injungere cu-  
 „ram animarum *Parochiæ ad sanctum*  
 „*Paulum*, quocirca officium Parochiale  
 „exercens Sacrosancta Ecclesiæ Sacra-  
 „menta more catholico hic *Wormatiæ*  
 „semper usitato solemniter administ-  
 „ravi: ac primo quidem, quantum re-  
 „cordor, eodem anno sub finem No-  
 „vembris *præcedentibus Ceroferariis, ac*  
 „*Campanario cum Lucerna & Campanula*  
 „*de Sacro Viatico publice providi Joannem*  
 „*Mezler* civem & vitriarium Worma-  
 „tensem, & successive usque huc Ma-  
 „riam Susannam *Tieffenthalin*, Joannem  
 „*Michaelem Rosner*, *Valentinum Schmitt*,  
 „*Annam Frisiam*, *Annam Mariam*  
 „*Wittmænin*, *Joannem Georgium Ubel-*  
 „*hör*, *Joannem Godefridum Greber*, qui  
 „omnes pie in Domino obierunt. In-  
 „super præter hos nominatos pluribus  
 „aliis gravi ac periculoso morbo de-  
 „cumbentibus interea temporis *Augu-*  
 „*stissima Sacramenta cum solemnitate pu-*  
 „*blica*, prout fieri potuit, sine ulla  
 „prorsus contradictione administravi,  
 „prout omnes Catholici fatentur, hic  
 „semper fuisse usurpatum. In quorum  
 „fidem dedi hæc manu & Sigillo pro-  
 „prios. *Hist. Eccles. Tom. LXXII.* Rr priis

Sæc. XVIII. „priis consignatos *Wormatiæ* in Con- „  
 A. C. 1727. „ventu *Fratrum Ordinis Prædicatorum* an- „  
 „no millesimo septingentesimo vigesimo „  
 „septimo die vigesima Maij.

F. Christianus Mavv. Ordinis  
*Prædicatorum p. t. Conciona-*  
*tor Conventus ad S. Paulum*  
*Pro- Parochus.*

„Ego infra scriptus tenore præ- „  
 „sentium Attestor, me a mense Aprili „  
 „Anni 1725. usque ad modernum men- „  
 „sem Majum Anni currentis 1727. ad „  
 „infirmos & quidem ab Ecclesia Paro- „  
 „chiali nimium diffitos ex parte, in „  
 „vicinia vero, nominatim in platea „  
 „S. Martini, in foro supremo, ac vulgo „  
 „die *Kammer- Gaß* habitantes indiscri- „  
 „minatim omnes *per plateas publice stola* „  
 „*ac superpelliceo indutum præcedentibus* „  
 „*Campanario ac choralibus Lucernam ac* „  
 „*Campanulam præferentibus, Sacrum Via-* „  
 „*ticum detulisse*, eisque tali modo Sacra- „  
 „menta administrasse, idque more Præ- „  
 „decessorum meorum, quemadmodum „  
 „plurimis in Parochia, idque *sex- &* „  
 „*septuagenariis constat* non aliter, quam „  
 „publice ac modo prænominate in Parochia „  
 „nostra S. Martini Sacramenta admi- „  
 „nistrata fuisse. In cujus rei fidem „  
 „præsentibus Conventus nostri *Wor-* „  
 „*matiensis Sigillo munitis propria manu* „  
 „sub-

„subscripti. WORMATIÆ in Conventu Sæc. XVIII.  
 „nostro FF. Prædicatorum 20. Maij A. C. 1727.  
 „1727.

F. *Josephus Peters* Ord. Præ-  
 dicatorum p. t. Curatus ad  
 S. Martinum WORMATIÆ ma-  
 nu propria.

„Infra scriptus hisce attestor, quod  
 „ab Anno 1722. usque ad 1724. post  
 „vindemiam Pastorem ad S. Martinum  
 „egerim, quibus annis publice cum lu-  
 „mine, superpelliceo, ac Stola indutus, sa-  
 „eram synaxin in ciborio ad ægrotos sine  
 „contradictione A catholicorum, per  
 „plateas detuli, & eisdem Sacramenta  
 „Eucharistice & extremæ Unctionis por-  
 „rexi. In quorum fidem hasce consueto  
 „conventus Sigillo munivi & propria  
 „manu subscripsi, Treviris 26. May in  
 „Conventu Ordinis Prædicatorum ad  
 „sanctum Joannem Baptistam dicto. „

F. *Vincentius Sterpenich* Ord.  
 Prædicatorum.

„Cum calamo fide dignissimo infra  
 „signato innotuerit, quod ex parte Ma-  
 „gistratus WORMATIENSIS A catholici in con-  
 „gressibus Ratisbonensibus indagetur cauf-  
 „sa circa usum aut consuetudinem de  
 „portando sacram synaxin in Ciborio cum  
 „lumine per plateas aut portas, adeoque

Rr 2 ne

Spec. XVIII. „ne Religioni Romano-Catholicæ Worma-  
A C. 1727. „tienti suis in usibus aut functionibus  
 „ex parte adversa quidquam derogetur  
 „aut innovetur, hinc præsentibus fidem  
 „facio & attestor, quod Anno 1723.  
 „circa Vindemiam *Wormatiæ* advene-  
 „rim, & in absentia aut infirmitate  
 „*R. Patris Joannis Pauli Ordinis Prædi-*  
 „*catorum ad S. Paulum p. m. Pastoris*  
 „*sacram Synaxin in Ciborio per plateas cum*  
 „*lumine, superpelliceo & Stola indutus ad in-*  
 „*firmos portaverim, eisque sacram Synaxin*  
 „*& extremam unctionem administrarim. In*  
 „quorum fidem hæc consueto Con-  
 „ventus sigillo munitas Treveris in con-  
 „ventu nostro Prædicatorio ad S. Joan-  
 „nem Baptistam nuncupato 26 Maij 1727.

*F. Gundisalvus a Castro Ord.*  
*Præd. p. t. Prior manupropria.*

„Præsentium tenore verbo verita-  
 „tis attestor, quod dum Anno 1712.  
 „*Wormatiæ* in Obedientia subsistens,  
 „ibidem in *Ecclesia Collegiata S. Pauli*  
 „Pastorali Officio fungerer, per publicas  
 „plateas *Stola & superpelliceo* indutus,  
 „templi custode cum lumine incenso, &  
 „tintinnabulo præeunte, absque opposi-  
 „tione sacratissimas species ad ægros,  
 „quoscumque Viatico muniendos ex-  
 „tulerim. In quorum fidem hæc pro-  
 „pria manu subscriptas Sigillo con-  
 „sueto

„sueto conventus Confluentini roboravi Sec. XVIII.  
 Confluentiæ 27. Junii 1727. A. C. 1727.

F. Joannes Deutsch Ordinis  
 Prædicatorum p. t. Prior  
*manu propria.*

§. XLVIII.

*Cæsareo - Aulici Consilii sententia  
 contra Wormatiensem Senatum  
 Lutheranum.*

Juratas horum testium depositiones  
 Wormatiensis Episcopus Catholico-  
 rum nomine ad Imperialis Consilii Tri-  
 bunal transmisit, simulque adjunxit  
 scriptum, in quo frivolæ Lutheranorum  
 cavillationes usque ad fæces erant  
 detectæ. Præprimis ergo exponeba-  
 tur, quod ex actis publicis & ipsa facti  
 evidentiâ constet, Religionem Romano-  
 Catholicam ante Lutheri schisma per  
 plurima sæcula Wormatiæ solam &  
 unicam floruisse, nec ullatenus per pa-  
 cem Religiosam, aut Passaviensem  
 transactionem vel Monasterio - Rysvi-  
 censem vel Badensem pacem fuisse im-  
 mutatam, sed potius firmitus roborata.  
 Quod autem ante & post Urbem  
 a Gallis incensam, & pacem Baden-  
 sem semper Sacrum Viaticum publice  
 & solemniter nemine contradicente non  
 modo per totam urbem sed & ante Lu-

Rr 3

thera-